



Iohannes ex tenuis fortunæ parentibus natus fuit. Cum autem ipse foelici ingenio præditus esset, naturali quodam instinctu literis operam dedit, atq; in uirum doctissimum euasit. Itaq; Albertus Cæsar Rodolphi filius eum suum cæcellarium constituit, atq; res grauissimas ei commisit, quas summa dexteritate optimè peregit. Vnde Cæsaris beneficio apud Tigurinos præpositus Maioris tēpli constitutus fuit. Cum autem postea Conradus præsul Eystetensis mortuus esset, omnium cōsensu eius loci Episcopus electus est. Eam ecclesiam summa pietate & animi moderatiōe gubernauit, atq; suo exemplo clerum in officio continuit. Ita-

que pontifex eius fama permotus, Cæsaris intercessione, anno millesimo trecentesimo septimo eum ob uirtutes Argentinensem præsulem ordinauit, atq; Philippum ei successorem in Eystetēsi Episcopatu dedit. Cum hoc modo Iohannes ad maximos honores euectus fuisset, primò eius collegij Canonicos, qui ob priorem electionem discordabant, benignè composuit, atq; ad cōcordiam redegit. Deinde ea quæ necessaria ibi erant instituit, atq; sua eruditione & pietate ubiq; sibi maximum nomen comparauit. scripsit enim libros plurimos, qui adhuc ibi extant. donec tandem anno 22 Episcopatus uiam uniuersę carnis ingressus, & in Molsheim sepultus est. Anon.